

Admodum Reverendo D.

D. HILARIONI RANCATI,  
MONACHO CISTERCIENSI,

E T

S. CRVCIS IN HIERVSALEM

ABBATI DIGNISSIMO,

Paulus Zacchias F.

**M**ecum, inquires, de Simulatione agis? Tecum, inquam. Te enim omnis virtutum generis non tam amantissimum, quam affluentissimum, vitiorum omnium acerrimum hostem esse quis dubitat? Inter quæ cum primas obtineat Simulatio, quod ipsa vitia sub virtutis tegmine cooperiens, nobis sæpissime imponit, jure quidem optimo hoc præ cæteris omnibus cane pejus & angue odio habere te crediderim. Vide igitur, num contra tam fraudulentum hostem, hoc sæculo quasi laxatis habenis debacchantem, strenue me gesserim, illumque pro viribus tuo genio indulgens debellaverim. quod si me præstitisse judicaveris, teque illi insultantem videro, mirum in modum tibi ipsi, & mihimetipsi gratulabor. Vale.

L I.

LIBRI TERTII  
TITVLVS SECVNDVS,

De Morborum Simulatione.

S V M M A R I V M.

- 1 Homines multis ex causis morbos simulant.
- 2 Lex ita abhorret à Mendicis morbos simulantibus, ut cuiuslibet volenti permittat investigare, an eorum infirmitas vera, vel ficta sit.
- 3 Simulantes morbos tanquam factis puniuntur.
- 4 Non omnes morbi simulari facile possunt.
- 5 Morbi qui facile simulari non possunt.
- 6 Febris non potest facile simulari.
- 7 Morbi qui frequentius simulantur.
- 8 Prægnantia, & partus non sunt morbi.
- 9 Simulatio latentior que.
- 10 Quidam atroces morbos facile sustinent, alii vel leviores sustinent difficiliter.
- 11 Dissimulantur etiam nonnulli morbi, sed non æque omnes.

Qui morbi ut plurimum simulari solent, qui item facilius, qui difficilius simulari possunt.

Q V Æ S T I O I.

**N**on raro quidem usu venit, ut homines nonnullis ex causis morbos quosdam, & affectus pati se malitiose simulent: quas causas rationabiliter, & prudenter Silvaticus in lib. de his, qui morbo simul. cap. 2. ad tria capita reducit, nempe ad timorem, ad verecundiam, & ad lucrum. nam exempli gratia alicujus delicti rei ut plurimum ad tormenta declinanda, vel ad ipsorum delictorum meritas poenas evitandas se mente captos, aut insanos fingunt. argum. l. Congruit. §. furiosus. & l. seq. ff. de off. Presid. & ibi Glaf. & ex nostris Sanctorell. in sua Anrepro. lib. 7. cap. 19. quemadmodum alii alia ex causa, nempe ut onera nonnulla effugiant, furentes se affimulant, ut notatur per l. Observare. ff. de curat. furiosus. quin etiam sunt (vide quo hominum malitia sese extendat) qui ad immunitates obtinendas, aut ad coadjutores sibi in curis Animarum adsciendos, ut ipsi labore alleventur, simulatione alicujus morbi, sibi expositulata impetrent. Sunt etiam qui, ut in judicio comparere non cogantur, aut ut à carceribus, in quibus ære alieno gravati detinentur, eximantur, eadem arte, immo vero malitia utuntur. Alii sunt item ex his, qui stipem medicant, qui ad consciscendam sibi apud homines misericordiam, & pecuniam quamplurimam corradendam plura effingunt, ut miros tumores, ulcera Phagedanica, & Chironia, membra paralyti emortua, ac torpentia, corpus Epileptia afflictum, & his non absimilia; a quibus fraudibus ita Lex abhorret, ut cuiuslibet volenti permittat. etiam si id sui juris non sit, investigare, an horum medican-

tium infirmitates veræ sint, aut fictæ, ut per Ripam in tract. de Pest. par. 5. num. 176. & si quos inveniat tibias sibi medicamentis lacerasse, tanquam fallarios puniendos esse jubet. Ripa ibid. num. 173. Prævidell. de Pest. par. ultima part. 14. num. 30. sed præter antedictos nonnulli sunt, qui eodem fine ducti se Dæmoniacos effingunt, aut Enthusiastum, vel quam vocant Sancti Viti choream pati. sed & his alii à pietate multo magis alieni, ut nomen sibi sanctimonie apud homines concilient, in Ecstasim se rapi assimulantes, simplices & idiotas facile decipiunt. Quin etiam adulatores se interdum ægrota- re eadem, qua Dominus, in infirmitate fingunt, teste Plutarch. in lib. de diff. inter Adul. & Amic. qui & ad eam rem de Dionysio Syracusano cæcitate, & de servis ejus cæcitate simulantibus mentionem habet. sed insuper Mulierculæ quoque interdum uteri suffocationem pati simulant, interdum etiam se utero gerere fingunt, & ut mendacii non vincantur, vel potius ad multo pejorem finem par- tus sibi alienos supponunt, & sic post fictam præ- gnantiam etiam tanquam parturientes se concin- nant, quod notat Holtien. in sum. lib. 4. Rubr. de frig. & malef. num. 12. & quod multo frequentius evenit, ut amissa pudicitia notam effugiant, ipsam virginitatem medicamentis nonnullis reparare, & redintegrare tentant (quamquam vere virginitas nunquam reparatur, cum semel amissa fuerit) & suis artibus ac decipulis, multis, immo plerique imponunt, cum tamen corruptæ non modo interdum sint, sed etiam conceperint, quod ut etiam aliquando contegant, detestabili impietate abortivis medicamentis fetus necant, & dehinc, ut dixi, prostitutam earum libidinem simulata virginitate contegere student. Ac demque nonnulli sunt, qui cum vere ægrotent, morbum tamen celant, ne illi ad aliquid impetrandum impedimento sit, ut si impotens sit quis ad copulam carnalem, aut contagioso morbo laboret, aut quovis alio, ob quem illi matrimonio interdicatur, vel si Epilepsia, vel alio morbo ordinum susceptionem impediende detinea- tur, talesque morbum dissimulare dicuntur.

In his omnibus, & aliis quoque non dissimilibus casibus lreconsulti, ut de veritate certiores fiant, ad Medicos se conferunt, eorumque judicium circa rerum veritatem exposcunt. Ad eos enim de his determinare pertinet, ut optime demonstrat Ioannes Baptist. Silvatic. in lib. ad hanc rem dicato cap. 1. ita ut oportune in hoc titulo ea, quæ ad hoc argu- mentum faciunt, pertractare mihi proposuerim. quoniam autem non omnes morbi simulari indif- ferenter solent, immo neque omnes indifferen- ter simulari possunt, sed aliqui sunt, qui frequentius simulantur, ante omnia videndum in hac priorè quæ- stione, quinam morbi ii sint, qui & facilius simula- ri possunt, & ob eam facilitatem frequentius simu- lentur, cum in aliis quibusdam non adeo facile sit Medicum, immo neque quemquam sani judi- cii hominem falli. Certum ergo est, eos mor-  
ij. N 4 bos,

bos, quorum certa, & evidentiæ signa habemus, ut quæ ad sensum patent, neque facile, neque longo tempore posse simulari, ut præcipue si omnes sunt, qui de necessitate febrem adjectam perpetuo habent, cum & ipsa febris per se simulari facile non possit. quamquam enim febris per quædam medicamenta facile excitetur, tamen aut non pertransit spatium viginti quatuor horarum, cum ex genere Ephemerarum sit, ut dicimus suo loco, aut malo ejus, qui eam sibi fraudulenter conciliavit, terminum Ephemerarum pertransit, qui aliquando extenditur ad tertium diem, & tunc ex ficta vera efficitur præter simulantis voluntatem, & idcirco de raro admodum hujus generis simulatione fraudulentum homines utuntur; timent enim ne dum altos decipere student, se ipsos volentes nolentes perdant. Cum ergo plurimi morborum febrem locum habeant, restat, ut cæteri omnes, paucis quibusdam exceptis, facilius simulari possint, nisi habeant, ut dixi, signa evidentiæ, & quæ ad sensum patent.

7 Cæterum præ omnibus simulari solet Dementia, seu infania, Dolores aut capitis, aut stomachi, aut renum, aut ventris inferioris, & in summa interni omnes, nam in externis partibus non de facili simulari possunt, ut dicimus. Præter hos effinguntur Animi defectus omnes, & morbi, qui cum eo defectu adveniunt, ut est Epilepsia, Apoplexia, Ecstasis, Vteri suffocatio, Syncopis. Simulatur quoque aliquando mutitas, & sorditas, rarius tamen, veluti etiam Paralysis, Hernia, Hydrops, Ictericia, Cachexia, Claudicatio. His multo frequentius simulatur ab ignavis quibusdam, ut dicimus, ulcera; & denique prægnantia, & Partus, quamquam neque prægnantia, neque partus morbi sunt, aut accidentia morbi.

Verumenimvero hæc, de qua hætenus locuti sumus, est aperta simulatio, nempe quia nullo existente morbo homines se morbosos simulant; præter hæc tamen alia simulatio est cognitu multo difficilior, quam latentem appellare libet, eo quod causa agrotationis, & morbus ipse manifeste se persecutantibus prodant, sed sub levioris morbi tegumento lateat simulatio atrocioris morbi; quæ quidem simulatio nonnullis connaturalis est, & nullam fraudem præfert, in aliis vero fraudulenta est, nam ex ejus causa ad optatum finem pervenire student.

10 sunt ergo quidam ejus naturæ, ut morbos quoscunque atrociore, anxietudines, ipsos etiam infestissimos dolores tam patienter tolerant, ut vix eos agrotare dixeris. alii contra leviuscula febre afflicti, dolore nullius momenti molestati, aut animi levi deliquio apprehensi, adeo se excruciant, adeo vociferantur, tam anxie se huc atque illic jactant, tot absurdos & inconcinnos actus effingunt, adeo illico moerent, & pallent, ut imperitus quispian Medicus, vel eorum naturæ morisque ignarus facile dijudicet, eos magno quodam morbo detineri, aut de vita periclitari, cum vix quicquam consideratione dignum patiantur. in prudentibus autem, & non simulantibus

— flagrantior æquo

Non debet dolor esse virri, nec vulnere major, ut dicebat Iuvenal. Sat. 13. sed quemadmodum in prioribus morbus aut dolor non est aspernendus, sic neque in posterioribus magnificendus, quia, ut facundissimus Poeta nosse Franc. Petrarca in Mortis Triumpho cap. 2. dicebat:

Non è minor il duol, perch' altri il preme,  
Ne maggior per andarsi lamentando,  
Per fittion non cresce il duol, ne scema.

Vidi, ut exemplo hæc confirmem, non longe antea diebus Græcam quandam matronam, quæ simplici tertiana laborabat, nullo notabili calore, neque dolore, neq; alio quolibet gravi symptomate insigni, tamen cum in accessione vomitu, non tamen molesto, prederetur, & tantilli humoris biliosi motum, & amarorem cum aliqua, sed levissima anxietudine, experiretur, mortuam se illico prædicabat, canes sibi stomachum lacerare vociferans, & tanquam animo liqueretur, taciturna illico fiebat, & mille alios absurdissimos actus effingebat, quæ me potius in risum, quam in commiserationem impellebant, qui scirem mulieris morem, atq; naturam. itaque Medicus ad hæc animum advertat, ne in sui dedecus, & derisum, quem repente, & nullo negotio sanatum videat, de cujus vita ipse paulo ante diffidebat; adhibenda itaque etiam in his casibus industria est, non modo cum de vera, aut ficta morbi gravitate sententiam ferre debemus, sed tunc etiam cum mederi agrotantibus desideramus, nam & hoc ipsum monuit communis præceptor Hippocrates, & eum secutus Valsell. in 2. Epidem. sect. 2. particul. 10. Cæterum dissimulantur etiam nonnulli morbi (hoc est, cum adint, homo simulat non adesse) sed non æque omnes, de his tamen in ultima hujus tituli quæstione scorsim agemus.

## S V M M A R I V M.

- 1 Galenus nihil pene intactum in Arte Medica reliquit.
- 2 Quinque ingenii deprehendi possunt qui morbum simulant.
- 3 Quomodo ex conjecturis externis deprehendi possint qui simulant aliquem morbum.
- 4 Quomodo eisdem deprehendi possint ex specie morbi, qui simulantur.
- 5 Quanam ratione deprehendi eisdem possint ex abominatione, & difficili admissione remedium.
- 6 Quomodo deprehendantur simulantes morbum ex iis, quæ morbos concomitantur.
- 7 Quo pacto possint deprehendi eisdem ex iis, quæ morbos consequuntur.
- 8 Pulsam quoniam pacto alterent sibi nonnulli.
- 9 In urinis quæ fraudes inesse possint, & quomodo detegenda.
- 10 Urinarum color quibus ex causis, & quomodo ex industria alterari possit.
- 11 Pallor faciei quibus procuraretur, & quomodo deprehendatur.
- 12 Sudor sanguineus arte procurari an possit.
- 13 Sudor sanguineus arte procuratus quomodo deprehendi possit.

## Qua ratione deprehendantur qui morbum simulant.

## QUÆSTIO II.

Quoniam autem de singulorum morborum simulatione particulariter agere ratio non vacaret, & nimis quoque foret operosum esset, idcirco univærsalis ratio tradenda videtur, qua depre-

prehendi possint ii, qui morbum qualemcunque simulant. nam deinceps ad particulares quosdam casus accedemus, qui peculiaribus conjecturis, aliis simulationibus non communibus, & particulari ingenio detegi possunt.

1 Galenus igitur nosse, qui nihil in Arte Medica intactum, aut intentatum reliquit, in suo libello huic negotio dicat, quamquam breviter, sapienter, ut sui moris est, rationem edocuit, quæ id, quod quærimus, facile assequamur. licet Silvaticus hanc librum non esse Galeni genuinum autumat, quod multa dicat continere ejus doctrinam indigna. sed quidquid sit de hujus rei veritate, ego illius auctor doctrinam munius, & rationabili discursu adjutus, dicendum censeo, quod quinque potissimum ingenii deprehendi possint

2 ii, qui morbum aliquem se pati simulant, & primo si utamur nonnullis conjecturis externis non tam ad Medicum, vel potius ad ejus artem, quam ad quemlibet alium pertinentibus, & ad ipsos præcipue Judices, & Iureconsultos; atque hæc de causa non debet Medicus, qui in his solidum, ac verum ferre iudicium desiderat, ex quo honorem sibi, non autem dedecus, aut ignominiam conciliet, contentus esse solis iis indicis, quæ Medicæ Artis propria sunt, sed multa ab amicis, à familiaribus, à propinquis, à vicinis, ab ipsis denique Judicibus interrogare debet, & causam suspicionis, ob quam morbum potius esse fictum, quam verum existiment, diligenter, & magna cum cautela rimari. hoc ingenio usus ipse Gal. deprehendit servi cuiusdam dolum, qui medicamentorum nonnullorum appositione tumorem sibi in genu excitaverat, ex quo impediri se ad itinerandum Domino suo perluadebat, qui secum illum ducere longo in itinere desiderabat: percontatus enim Galenus de servi natura, de moribus, de Animi affectibus, facile venit in cognitionem, ipsum servum ancillam quamdam cogitare, quam ne deserere cogere, neve ejus aspectu, & familiaritate, seu potius consuetudine privaretur, si Dominum sequi per tam longum iter cogere, genum dolorem se pati simulavit, cujus rei ut sibi fidem faceret, per Thapsiæ appositionem in ea parte tumorem excitaverat; cujus malitiam Galenus non modo ex Artis Medicæ præstantia, sed prædicta industria usus, & apto medicamento tumori apposito, fraudem detexit, tumore, & inflammatione illico evanescente, magna cum sui nominis gloria. consideranda ergo, ut dixi, personæ, quæ morbum simulare præsumitur, status, & conditio, & alia ab extra advenientia, & maxime præ oculis habere oportet causam, quam possibile est eam habere simulandi, ut si tormentis subjicienda, si in iudicium trahenda, si in carcere detinenda, nam facta circa hæc diligenti animadversione, facile conjecturæ nonnullæ sese offerent, ex quibus in veritatis cognitionem levi negotio pervenimus.

4 Secundo deprehendi potest simulatio morbi ex specie morbi, qui simulatur, consideratis causis externis, corporis habitu, ætate, antea vitæ ratione, & hujusmodi. nam si qui hesternæ die bono videbatur corporis esse habitu, coloris laudabilis, & vitam debebat frugalem, absque eo quod infingiter in usu sex rerum non naturalium peccaverit, hodie, vel irrationabili temporis spatio cachecticus appareat, vel Hydropicus, vel Ictericus, vel tumore aliquo subito prehendantur, hunc facile est

morbum per fraudem simulare, cum difficile, ac pene impossibile sit, illum cum tali vitæ institutione, eo corporis habitu dotatum absque alio præcedenti morbo, aut causa aliqua procatartica & evidenti in aliquam prædictorum morborum speciem tam derepente lapsum esse. eadem esset ratio de illo, qui cum in quiete sit, neque laborandi, aut sudandi occasionem ullam habet, & se exponendi aëri frigido, diceret se dolore pleuritico detineri; nam tunc facile est, ipsum simulare, quia pleuritis absque iis præcedentibus evenire non solet ut plurimum. eodem quoque pacto si quis derepente insanus appareat, non prægressa aliqua causa evidenti, neque quicquam præteritis diebus à suo naturali statu in colore, in oculorum aspectu, in loquela, in Animi pathematis immutatus, suspicandum est, eam esse simulatam insaniam; non enim morbi hujusmodi à Melancholia originem ducentes, tam derepente irruere solent, ut loco aptiori demonstrabimus.

Tertio qui simulant morbum, deprehenduntur ex abominatione, & difficili admissione remedium, quæ ubi vere agrotarent, maxime convenirent; qui enim non ficto morbo afficiuntur, facile patuntur, se remediis adjuvari, immo magno existente morbo, ut exempli causa, si dolore acerbissimo, & infestissimo affligantur, ultro ipsos Medicos deprecantur, ut nihil machinari omittant, ipsique ferrum, & ignem efflagitant, & admittunt, etiam his multo majora toleraturi. contra autem ubi vere non agrotaverint, aut leviter afficiantur, vix externa remedia, & quæ absque molestia in usum trahi possunt, admittunt, sed procraftinantes nihil executioni demandari permittunt.

Quarto deprehenditur simulatio ex iis, quæ aliàs consequi solent, nempe ex accidentibus, symptomatibusque ipsos morbos concomitantibus, & ad hoc exquisito, ac diligenti examine ponderanda, & animadvertenda in quolibet morbo, qui simulari præsumatur, signa, & accidentia, quæ à Scriptoribus in eorum morborum enarratione recensentur, ex quorum absentia aut in parte, aut in toto facile venire licet in cognitionem simulationis, ut in singulis quæstionibus particularius edocebimus.

Ultimo loco alia nonnulla sunt, quæ non concomitantur à principio ipsos morbos, sed ad eos consequuntur, & hæc etiam in consideratione habenda, ubi enim desint, de simulatione suspicari licet: nam siquidem exempli gratia, servus ille, de quo supra meminimus, vere agrotasset, tumor ille genu majorem indies dolorem, & inflammationem excitasset, febrem accendisset, & in pus facili negotio conversus esset, unde novæ febres, novique dolores emanassent. at horum nihil ad eum tumorem subsequi fuit necessarium, quia medicamento externo fuerat excitatus, unde facile fuit illum contrario medicamento reprimere. eadem quoque ratio, ubi acerbis ac magno dolore affligi se quicquam dicat, si id veritatem habeat, dolore procedente, nihilque remittente, necesse est ad eum (præcipue si maxime sensitivæ, ac nobilis partibus fuerit, ut stomachi) subsequi frigidus sudores, vomitus biliosarum materiarum, anxietudines, pallores, partium extremarum refrigerationem, febres, inflammationes, malam tolerantiam, aversionem à cibis, & alia hujusmodi symptomata, vel omnia, vel magna

magna ex parte, sin minus, nihil ex his prorsus subsequitur. Sic etiam ubi furore vel insania quis vere detineatur, oculorum offuscatione, vultu tetrico & incomposito, intuitu torvo, perpetuis vigiliis, & similibus accidentibus ad morbum consequentibus, conspicuam faciet veritatem.

Sed quoniam hominum malitia tanta est, ut etiam nonnullis mediis utatur, ad suam simulationem pro vero quodam stabiliendam, & falsitatem eorum contegendam, ut eo pacto facilius & Iudicibus, &

Medicis imponant, advertendum est, nonnullos sibi pulsus aliquo artificio solitos immutare, vel penitus abscindere, urinas etiam adulterare, tum in colore, tum in substantia, tum in contentis, item totius corporis vividum colorem in lividum, seu pallidum adulterare, & alia multa his non dissimilia confingere, quæ facile non advertentem Medicum, seu imperitum, & multo magis Iudices inexpertos, & qui Medicinam minime callent, decipere possunt; idcirco ad horum fraudem detegendam, ubi febrem aut animi deliquium tales simulare suspicati fuerimus, brachia tentare oportet, ne aliquo vinculo constricta sint, aut pedum quoque arterias investigare, nam impossibile est, si hæc perferantur, carpi arterias non moveri, aut non perferantur, itaque fraudem tunc subesse Medicum suspicatus ad alia procedentanda, quæ sua industria sibi in eo casu dicat. Quin etiam aliquid caustici, ut pericula- rum, vel pustularum eruptionem, vel simile quidpiam, corpus totum denudari, & brachia ipsa præcipue curabimus.

Porro si de urinis suspicio aliqua insuper accesserit, tunc cautelis utendum à Gordonio traditis in libello de urinarum cautelis. sed unica in omnibus casibus cautela est, ut urinas coram nobis, ubi fraudis suspicio aliqua sit, mingendas curemus, & diligenter advertamus, ne re aliqua adulterentur, quæ vel sub frato, vel alibi celetur: adulterantur enim urinae quando exempli causa pro illis ostenditur vinum. quod facile odore suo se prodat, præcipue si matulam exagitaveris. deinde in vino nulla contenta, in urina quasi semper aliqua, interdum pro urina ostenditur Hydromel, hoc est liquor ex aqua & melle, & hic facit spumam citrinam, quod deprehendes si ex una matula in aliam eam transfundes aliquid causticatum. deprehendi etiam potest cum his ex omnimoda contentorum absentia. est etiam quando ostenditur urina sanguinolenta, & hoc vel ob admixtionem alicujus rei, vel ob præcedentem comestionem Indicæ ficus, quæ sanguineam urinam reddere facit, ut testatur Matthioli. in lib. 1. Dioscor. cap. 145. Donat. Marcell. lib. 4. Hist. Med. Mirab. cap. 129. & Ovied. lib. 8. Indic. histor. cap. ult. potest etiam urina sanguinea reddi, immo ipse sanguis mingi ob retentionem Cantharidarum in manu, sed hoc non sine aliquo periculo & dolore experientis fiet, ita ut facile suæ fraudis poenam re-

portaturus esset. Urinae item color intentior redditur longa ipsius retentione, decubitu quoque super renes, violento motu & exercitio, & omnibus rebus, quæ corpus, & ipsos præcipue renes possunt excalescere. quin etiam remitti ex industria potest urinae color, ut ventriculi dolorem ex cruditate quis prudenter, immo malitiosius simulet, etiam aquæ admixtione, sed ipse faciei color vividus horum malitiam irritat facit, cum ubi longa ventriculi cruditate, & ob eam ejusdem dolore quis molesteretur, impossibile sit faciei colorem non

immutari, & in albidum, pallidumve verti, & alia accidentia huic morbo familiaria non comparere; licet etiam faciei color adulteretur facillime plenique sufficiens, præcipue ex sulphure, & ex cumino, quod etiam bibitum idem præstat, ut notavit Dioscorid. lib. 3. cap. 60. & ibi Matthioli. & Ruell. de nat. stirp. lib. 3. cap. 44. quod & Horatii lib. 1. Epistol. penultima innuebat, dicens:

Quod si

Pallidum casu, biberent ex angue cuminum.

nempe ut ipsi sibi conciliarent faciei pallorem, quo me affectum viderent. sed pallorem quemcumque suffitu procuratum facile deprehendimus lotione rebus abstergentibus, ut ex aqua hordei cum aceto, aliisve medicamentis ejus facultatis, ut latius Deo dante infra docebitur.

Baroncell. denique lib. 2. de sudore cap. 11. proponere quæstionem, an scilicet Arte procurari possint sudores sanguinei, concluditque duobus exemplis dari quædam medicamenta, quæ hujusmodi sudores sua applicatione elicere possint, ut de herba illa, qua Indus quidam in urbe Posto dicta plures morbos curabat; de cuius rei veritate fidem facit Petrus de Oliva in Epistola ad D. Nicolaum Monardem ab ipso Baroncell. citata. sed quia hæc vel ignota sunt, vel à nobis admodum remota, idcirco his aliquid addere supervacaneum puto. cum tamen hoc sit accidens maximæ considerationis, si quando eveniret, proculdubio supponeret magnum morbum, terribilibus accidentibus concomitatum, & cum certo periculo terminaturum, qualem offendit aliquando Illustrissimus, & Reverendissimus D. Iulius Mancinus S. D. N. Urbani Papæ Octavi à cubiculo Medicus, & vir ob suam doctrinæ excellentiam omnibus notissimus.

Si ergo talia symptomata abessent, per artem procuratum fuisse talem sudorem, esset suspicandum; qui tamen non ita extra naturam est, quin aliquando observatum sit, illum ex ingenti animi angore in iis qui morti damnati sunt, prorupisse, ut in juvene Belgæ igni destinato non multis ab hinc annis quicumque voluit adnotavit. & notavit etiam Card. de Sibiril. & alibi. sed sanguineum sudorem Christi Servatoris naturalem non fuisse, probant nonnulli, ut Silvaticus controvers. 5. Medic. in fin. & vir eruditissimus Stroph. Roder. Castr. in lib. cui tit. Quæ ex quibus lib. 1. cap. 23. Sed qui nonnullas historias, & exempla hujus sudoris legere capit, & alia circa id ipsum scitu maxime necessaria, legat Marc. Donat. de hist. mirab. lib. 1. cap. 2. per totum.

### S V M M A R I V M.

- 1 Febris quomodo per fraudem simuletur.
- 2 Piscium genus, quod manu detentum febrem accendit.
- 3 Simulata febris quomodo deprehendatur.
- 4 Ulcera à quibusdam quomodo simulantur.
- 5 Mulierum cancerum in mammis simulatum historiam.
- 6 Simulata ulcera ex quibus deprehendantur.
- 7 Quid agendum ubi ementis ulcers suspicio adsit.

### De simulata Febre, efficitisque Ulcerebus.

#### QVÆSTIO III.

Licet febrem inter eos connumeraverim motus, quos, qui non tam de facili simulari possunt, tamen

men aliquando per assumpta quædam medicamenta ex industria, & per fraudem excitatur. Refert Cardan. lib. 10. de Sibiril. in Aretan flumine felicissime Insula Zeilan esse Piscium quoddam genus, quod manu apprehensum, detentumque febrem accendat, immo illico qui illum tetigerit, febre corripitur. sed hoc tantummodo ob rei novitatem retuli, nam hæc à nobis longe absunt, licet non extra rationem esse videatur, quia notissimum est quod de Torpedine, & de Cantharidibus, aliisque medicamentis advenit: illa enim etiam per aliquod medium, ut per funem, aut baculum tangentem inficit, hæc vero manu detentæ ex viis urinae sanguinem prolucunt, ut dixi; immo cuicumque parti corporis admotæ, ut quotidie in applicandis vesticæ hæc, quæ ex illis componuntur, experimur, sed hæc valeant, nam alia non desunt. Alterci fermen epotum febrem commovet, sed mentem quoque turbat, & quasi phreneticos homines facit. est autem Altercum Hyoscyami genus, de quo Ruell. de Nat. Stirp. lib. 3. cap. 107. & Matthioli. in quartum Dioscorid. cap. 64.

Scribit Cardan. de Variet. & refertur à Wecher. lib. 5. secret. cap. 4. Nec non id ipsum recenset Silvaticus lib. de his qui morbi simul. cap. 14. accendi febrem, si cornuti scarabæi in oleo decoquantur, & ex eo oleo pulvis inungatur. Allium si quis sibi in anum incidit, febrem sibi excitat. Theriacam, aut Mithridaticam qui assumplerint, aut aliquod aliud calidum electuarium, vino superbibito, in febrem incidunt; quo remedio licet uti, quodcumque febrem tanquam morbi alicujus remedium ob contrarietatem ad ejus expulsiorem excitare desideramus: cætera enim majorem habent suspitionem, quæ etiam non caret vinum, in quo Mandragoræ radices efferverint, ut testatur Fortun. Fid. lib. 2. de Relat. Med. cap. 2. Alia insuper medicamenta sunt, quæ febrem excitare facili negotio possunt, nempe quæ summe calida, ac vaporosa existunt, ut piper, & aromata omnia ex vino præcipue assumpta; cibi omnes acres, ut allia, capæ, & his non dissimiles.

Sed quid alia investigamus? ipsum vinum per se, præsertim si generosum, crassum, ac potens sit, in multa copia potatum suo calore febrem accendit quotidie experimur. Gal. de caus. morb. cap. 2. class. 3. quod multo promptius facit ex vino elicitus spiritus, quem Aquam vitæ, seu aquam ardentem nominant, in multo minori quantitate assumptum. Verum invero cum nullis adeo extra mentem sit, aut ea temeritate dotatus, ut ea simulare audeat, quæ non sine propria vitæ periculo experiri potest; hinc est quod de raro febris per horum assumptionem data opera simuletur. Sed si quando simulari contingat, nisi altius radices egerit, & pertransierit terminum 24 horarum, aut ad summum trium dierum, qui sunt termini Ephemerarum, (licet verus terminus prior sit. Gal. 10. Meth. cap. 2.) facile vel cessantes omne negotium nobis adimunt, aut refrigerantibus potionibus facillime cedunt, etiam ipsius aquæ frigida potui. consentaneum ergo erit, ubi suspicio advenit, & oportuerit hæc aliquo modo tentare, quia damno esse non possunt, etiam si febres ex aliis causis fuerint excitatæ. quæ autem ab Alitii suppositione excitata fuerint, deprehenduntur inquisitione, si aliqua suspicio adsit, tum odore, quem expirare simulantem quoquo pacto est verisimile.

Cæterum ulcera qui fingunt, hoc non uno modo faciunt, nam aliquando per medicamenta quædam vrentia, ut per Thapsiam, Flammulam, Vitæmalbam, Titimallorum succos, Turpetum, Taxi pulverem, & ejusmodi alia, carnosas partes vere sibi exulcerant. aliquando autem non ulcerant, sed quarundam rerum appositione Ulcera figuram representantium ea per belle effingunt. Ex priori genere fraudem detexit in sermo illo Galenus, ut superius enarravimus; ex posteriori Paræus, & Pigræus ambo Regum Galliarum Henrici tertii, & quarti, Chirurgi doctissimi, 5 uterque enim eorum in mulierculis quibusdam singuli in singulis cancerum simulatum deprehendit, ea dexteritate effictum concinnatumque, ut nihil supra, quemadmodum apud ipsos videri potest. Paræus enim historiam hanc enarrat lib. 24. cap. 18. Pigræus autem lib. 7. cap. 8. Ea, quam Paræus, vel ejus frater detexit, spongiam liquore ex brutino sanguine, & lacte commixto imbutam sambucino tubulo per latencia ficti cancerosi ulceris foramina decurrente, sub axilla repoluerat, aliaque nonnulla tam eleganter adaptaverat, ut facile quemcumque vel sensatum virum decipere posset. Altera vero, cujus fraudem deprehendit Pigræus, splenis vaccini frustum mamma agglutinaverat, quod serosam, subrubramque materiam reddebat, ut veri canceri faceret. eandem texere solebat fraudem in Tibia ulcus effingens Mendicus ille, de quo idem Paræus ibid. quo loco multas etiam hujusmodi personarum technas recenset, & modum docet, quo facillime deprehendi possint. in his autem omnibus maxime considerare oportet reliqui corporis dispositionem, deinde ipsa ulcera, & omnia circumstantia linceis oculis perustrare; ac dehinc etiam ad nonnulla levia medicamenta, (nisi omnino efficta, ut superiora, sint) deveniendum tentandi gratia. nam si corporis totius color vividus sit, carnesque bene compactæ, non disfluente, habitus item carnosus appareat, oculique; nativa vivacitate dotati, non liventes, neque album in fuscum colorem immutatū habentes, & tamen cum his vlcus primo aspectu horrendum sese offerat, magnum, fordidum, livens, pus multum reddens citrinum, aut viride, & in summa cacoethiam præferat, tunc, & eo casu impossibile est fraudem non subesse; neque enim corporis constitutio illa ex parte tam maligno ulceri correspondet, immo undequaque est contraria; consentaneum namque est, ubi ulcus talis naturæ vere & realiter corpus occupet, absque omni dubio ab ipsius corporis impuritate emanare; ac corpore tam immunda illuvie redundante, necesse est ipsius colorem in deterrimum commutari, carnes disfluere, ac consumi, ex quo & ipsius corporis emaciationem consequi necesse est, non generantibus visceribus talem sanguinem, qui aptus bonæ nutritioni sit. Adde quod impossibile est in ulceribus magnis, malignisque, & in corporis cachexia, quam sciam habent, non adesse lentam quamdam febriculam, quæ insuper malam corporis totius crasim denotat; quod si ulcera neque tam magna, neque tam virulenta appareant, licet neque in his corpus naturaliter se habere consuescat, tamen posset in mediocribus non multum à naturali constitutione recedere. sed ubi suspicio subit ementis ulcers, levia quædam medicamenta, ut dixi, apponenda; nam si quidem medicamentis vrentibus ulcus sit procuratum, neque à corporis impuritate dependentiam habeat, facillime contra-

Iis medicamentis cedet, & brevissimo temporis spatio vel prorsus fanelet, vel facilis curationis signa manifestissima monstrabit.

## S V M M A R I V M.

- 1 Dolor frequentissime simulatur, & qua de causa.
- 2 Sensus sententiis est.
- 3 In dolore fit sensus contristans.
- 4 Dolor an sentiat.
- 5 Dolor est sensus.
- 6 Sensus non sentitur.
- 7 Dolor si sentiat, per alium sensum sentitur.
- 8 Processus in infinitum discurrens in naturalibus.
- 9 Dolor si sentiat, per certum aliquem sensum sentitur.
- 10 Dolor non est obiectum adequatum alicujus sensus particularis.
- 11 In omni sensu dolor inest, & voluptas.
- 12 Dolor in sensu tactus magis manifestus, quam in aliis.
- 13 Omnibus sensibus convenit tristitia, & delectatio.
- 14 Sensus tactus omnium communissimus.
- 15 Sensus quo perfectior, eo graviores dolores sentire debet.
- 16 Cur dolor in ceteris sensibus non adeo manifestus, ut in tactu.
- 17 Sensibile in quantum tale perficit sensum.
- 18 Dolor sensum corrumpit.
- 19 Dolor si minus sentitur, animal ab eo non fugeret.
- 20 Dolor em ceteri sentiant anima.
- 21 Dolor non est obiectum sensus alicujus externi, sed est modus sentiendi, movens Phantasiam, a qua movetur animal ad fugiendum quod illi molestum est.
- 22 Voluptas est modus sentiendi, quo movetur phantasia ad quietem habendam in eo, quod animalis jucundum est.
- 23 Dolor an sentiat, quomodo intelligendum.
- 24 Dolor non est sensus, sed sensatio.
- 25 Dolor communis omnibus sensibus.
- 26 Dolor quomodo sensibile dicatur.
- 27 Simulatus dolor quomodo deprehendi debeat.
- 28 Partes quae simulatur dolere, quam esse soleant.
- 29 Externi dolores ut plurimum evidentibus signis se produnt.
- 30 Partium dolentium singulae habent sua propria symptomata, & accidentia.
- 31 Doloris species quae cuique parti familiaris.
- 32 Causae dolorem excitantes quos dolores inferant.
- 33 Causa externa maxime consideranda in dolore, qui simulatur praesumitur.
- 34 Simulationis suspicio esse debet, ubi effectus suae causae non respondeat.
- 35 Duratio doloris quomodo consideranda.
- 36 Dolor ad quem effectum non satis est ut sit levis.
- 37 Levis morbus non impedit hominem, quin actiones suas exercere possit.
- 38 Levis morbus non est dignus nomine morbi.
- 39 Levis dolor non dicitur egritudo.
- 40 Dolor quando debet excedere mediocritatem.
- 41 In concessione coadjutoris morbus impediens debet esse talis, ut corpus ag gravet absque ulla spe futurae prosperitatis.
- 42 Dolor, de quo iudicium ferre debet Medicus, oportet ut aliqua signa evidentia habeat.
- 43 Dolor magnus ex magnis signis demonstratur. & num. 47.

- 44 Magnorum morborum magna signa existunt.
- 45 Symptomata magna ex magnitudine morbi sunt.
- 46 Vehementes dolores ex Hipp. quomodo cognoscantur.
- 48 Acuti morbi magnam de se significacionem praebent.
- 49 Magni morbi supponunt magnas causas.
- 50 Effectus suae causae aequivalens sit oportet.
- 51 Magna causae magnos faciunt morbos.
- 52 Magna causae latere non possunt.
- 53 Difficile est simulatem morbum ab experto Medico interrogatum non errare.
- 54 Pulsarius dolor ex calida causa fit.
- 55 Remedia a Medico proponenda, ubi dolorem esse simulationem suspicetur.
- 56 Dolores particulares habent sua particularia signa.

## De Simulato Dolor.

## QUAESTIO IV.

Frequentissime ab iis, qui fraudulenter se agitare simulatur, dolor simulatur, experientia teste, quam suo testimonio confirmat Silvatic. in lib. de his, qui morb. simul. cap. 6. idque ea potissima ex causa, quod videatur dolor percipi non posse nisi ab eo, qui dolet, & qui in se ipso habet causam dolendi. sensus enim sentiendi est, dolor autem est sensus; ex eo enim fit sensus contristans ex contrarietate corrumpente; quae contrarietas, & contristatio non videtur percipi posse ab alio, quam ab eo, qui dolet.

Sed agitari solet inter Medicos pulcherrima quaedam quaestio, An nimirum Dolor sentiat. 4 hanc proponunt, & examinant Concil. diff. 77. Taddaeus in 2. Aphor. 6. Vgo Senenf. & Iacob. de Part. a Cardano adducti, qui & ipse eam quaestionem longioribus percurrit lib. 1. Contrad. Medic. tract. 5. contrad. 17. mirum autem est, inquit ille, nos toties dolorem sentire, & adhuc nescire, an ipse sentiat, an potius sensus ipsius pars quaedam sit. licet autem haec quaestio mere Physica sit, & nihil ad Legalem materiam pertineat, Iureconsultorum tamen pace, ac bona venia impetrata, eam hic breviter discutiam.

Qui negant ergo dolorem sentiri, his rationibus ducuntur, quod Dolor fit sensus, & hoc patet 6 ex ejus definitione, quia Dolor sensus contristans esse dicitur; at sensus non sentitur, quod patet, quia visus non videtur, neque auditus auditur, & sic de singulis; ergo neque dolor, cum sit sensus, sentitur. Deinde si dolor sentitur, cum ipse sit sensus, proculdubio per alium sensum sentitur, & hic, per quem sentitur dolor, sentiri debet per alium 8 sensum, & sic procedendo in infinitum, quod maxime disconveniens est in naturalibus. Adde quod si dolor sentitur, per certum aliquem sensum sentitur, ut puta per tactum, non vero per visum, aut per gustum, aut si quidem sentiretur per visum, non sentiretur per tactum, neque per gustum, quemadmodum visibile neque per gustum, neque per tactum, sed solummodo per visum, audibile neque per gustum, neque per tactum, neque per visum, sed per auditum tantum sentitur. at dolor non est obiectum adequatum alicujus sensus particularis, quemadmodum neque ejus contrarium nempe voluptas: quia in omni sensu dolor inest, & voluptas, nempe sensus tristis, & jucundus. patet auctoritate Aristotelis 2. de Anim. cap. 2. text. 20. & ex Averr. ibid. & Gal. 1. de Sympt. causis. cap. 6. class. 3.

& multo evidentiore ipso sensu, quia tam per tactum, quam per visum, per auditum, per gustum, per odoratum sentimus quaedam molesta, quaedam autem jucunda, licet, ut Gal. ibid. prosequatur, magis manifestus sit dolor in sensu tactus, quam in quocunque alio, & hoc absque dubio eo ejus sensus corporeitatem, ut ita dicam, & terrestreitatem, non quod illi magis naturaliter conveniat, quia omnibus aequaliter sensibus convenit tristitia, & delectatio, illa ut fugiant quae sibi nocent, haec ut prosequantur quae illis jurementum sunt. & satis est, si in suo sensorio quilibet sensus delectacionem experiantur parem tristitiae, & de contra, quod manifestum est; non enim magis delectantur gustando cibos suavissimos, quam tristemur gustando cibos deterrimos, & abominabiles, neque magis nos delectat secundum auditum, sonus quilibet suavissimus, & concertus Musicae summe perfectus, quam contristet secundum eundem sensum sonus quivis aut inconcinuus, aut dissonus, aut horrendus. ex quo patet, tristem sensationem fieri pariter in omnibus sensibus, quamquam manifestus, & frequentius appareat in sensu tactus, ut dixi, tum ob praedictam causam, tum ex eo, quod omnium sensuum communissimus sit, & per aliorum instrumenta dispersus. Neque valet ratio a Vallesio adducta lib. 4. Contravers. cap. 4. quod si unusquisque sensus per se dolorem sentiret, eo graviores dolores experiretur, quo perfectior esset, & sic visus, quia perfectior, acerrimos pateret dolores, quod tamen est falsum. non valet, inquam, haec Vallesii ratio, quia quanto magis sensatio perfecta est, magis recedit a corporeitate sensus, & accedit ad spirituositatem quamdam naturam, quae magis item vicina est sensibus internis, quam externis, quanto ergo magis corporeus sensus est, tanto magis corpus afficit. modo obiecta aliorum sensuum percipiuntur per media minus materialia, & idcirco minus movent sensoria sua, quam tactus. satis ergo est, ut dixi, si ceteri sensus tristitiam experiantur parem voluptati, in sensu enim tactus major absque comparatione fit voluptas, quam in aliis, unde etiam dolor major, & exquisitior.

Sed esse in omnibus sensibus dolorem, manifestissime demonstrat ipsius doloris definitio omnibus acceptissima; dicitur enim tristis sensatio, quae in omnibus sensibus absque dubio fit, quod si sensui tactus solum haec definitio conveniat, proculdubio vitiosa erit, cum non convertatur cum suo definito. neque enim omnis tristis sensatio esset dolor, quod tamen ita in rei veritate est, & ob id ea definitio optima est, & perfecta; oportebat autem addere in definitione doloris, quod esset tristis sensatio in sensu tactus. Si tamen libet appellare verum dolorem illum tantum, qui accidit sensui tactus, cum Mexateo saltem lib. 3. de morb. part. 1. quaest. 180. dicas, ceteris etiam aliquem dolorem convenire, cum excellentia, & improprietate sibi obiecta offeruntur. sed cum ille haec quaestionem inutilem vocet, eam relinquamus, quamquam etiam praecipuum, quam tractamus, panter inutilem ille fortasse diceret, sed animi causa eam prosequi liceat. patet ergo ex dictis, dolorem non posse reponi sub certo quodam sensu, per quem sentitur, unde dicendum videtur, quod nullo modo sentiatur.

His addunt, quod sensibile, in quantum sensibile, percipit sensum, sed dolor sensum corrumpit, ergo dolor non est quid sensibile, non ergo sentitur,

quia si sentiretur esset sensibile, & si esset sensibile sensum perficeret. Alias nonnullas rationes adducere solent qui negant dolorem sentiri; sed qui affirmant habent ipsum sensum pro se: nam si dolor non sentiretur, animal ab eo non fugeret. nunc animalia cum fugiunt quantum possunt, quia sentitur, & ejus molestia ipso sensu percipitur; datus est enim, ut alii annuimus, sensus doloris, aut sensus contristans animalis, ut sentiret ea, quae ipsum corrumpere possunt, & ea devitaret, alia quoque adducunt affirmativae sententiae fautores, quae brevitate causa omitto, & pro dubii solutione dicam cum Cardano (qui quatuor opiniones ex Vgone recitat) quod dolor non est obiectum sensus alicujus externi, sed est modus sentiendi movens Phantasiam ad fugiendum id, quod animalis molestum est. sic etiam de voluptate dicendum, quae est modus sentiendi movens phantasiam ad quietem habendum in eo, quod animalis jucundum est; de qua tamen an consona veritati sint ea, quae afferit Gal. pro nunc non discutiam, neque enim aptus hic videtur locus ad id discutendum. Quando ergo, inquam, quaritur, an dolor sentiat, vel dolor accipitur pro re abstracta, & distincta ab ipso sensibili dolore faciente, & sic dicendum dolorem non sentiri, quia dolor in tantum sentitur; in quantum sensibile facit illum sentire, veluti quodlibet aliud accidens in tantum potest movere sensum in quantum obiecto est adjunctum, vel accipitur dolor pro particulari modo sentiendi sub forma contristanti, & sic dolorem sentiri asserendum est, quia sensibile movet sensum non simpliciter, nempe exempli gratia tangibile non movet tactum simpliciter in quantum tangibile, sed in quantum calidum aut frigidum, durum aut molle, & in quantum simile, aut contrarium sensui, & tunc causat dolorem. & ex his facile manifestum fit quid respondendum ad argumenta in contrarium adducta. nam dolor non est sensus, sed sensatio, hoc est modus quidam sentiendi, & sic non valet dicere, quod cum sit sensus non sentiat, aut quod indigeat alio sensu, ut sentiat, & cum sit modus tantum sentiendi, idcirco communis est omnibus sensibus; & ad id, quod dicitur, quod sensibile perficit sensum, hoc recte dicitur in quantum tale, quia reducit sensum de potentia ad actum, non ergo valet, quod dolor non sentiat, quia sensum destruat, quia etiam ut sic perficit sensum sensibile contristans. sed qui plura de hac quaestione audire cupit, ad praecipuos auctores recurrat, nos jam ad Iureconsultos redeamus.

Ut ergo prudens Medicus ad decernendum ab ipsis Iureconsultis de veritate vocatus, non decipatur, plura in consideratione adhibeat necesse est; & primo partem, quae dolet, vel quae dolere simulatur, secundo doloris speciem, tertio causam doloris, & maxime siquam enarraverit patiens ex procatartibus, & externis, quarto doloris ipsius durationem, quinto remedia adhibita seu adhibenda. Pars autem quae dolet, aut quae dolere simulatur ut plurimum aliqua ex his est, Caput scilicet, Aures, Pectus, Stomachus, venter, aut vicinae partes, ut Renes, vesica, & reliquae. Nam partium ignobiliorum dolores non tam frequentiter simulantur, ut adnotat Silvatic. lib. cit. de his, qui morb. simul. cap. 6. & ratio est quia Iudices hos dolores non curant, neque alia ex parte tam procacis ingenii viri inveniantur, ut dolorem in parte sentire se fingant,

quæ oculis ipsis nulla labe affectam se commouet. est autem ditorum aut internarum partium, aut externarum, sed dolores simulati interni semper esse effinguntur: nam externi vel tumore, vel calore, vel rubore, vel colore immutato, vel aliis signis facili negotio deprehenduntur.

30 Singulæ autem partes, quæ dolent, habent semper sua propria symptomata, quibus sese manifestant: capitis enim dolorem sequuntur vigilæ (quæ singulis item doloribus sunt familiares, sed præcipue capitis) tristitia, vertigines, & his non dissimilia; Auris febris, vigilæ, phrenitis, seu rationis permixtio, & alia plura. Pectoris dolorem concomitantur febres, tussis, respirandi difficultas, difficultas in alterutram partem decubitus; & huiusmodi: dolori ventriculi associantur nausea, vomitus, lipothymia, Syncope, sudores frigidi circa frontem, & similia. inferioris ventris dolorem subsequuntur aut ipsius ventris strictitas, aut fluxus, interdum vomitus, rugitus, & alia ad hunc modum. Renibus autem, aut vesica dolentibus, urina aut retinetur, aut guttatim effluit, aut crassa, aut turbida apparet, & alia quamplurima symptomata molestant Medicis notissima.

31 Dolores species consideranda venit, quæ cum multiplex sit, non cuius parti quælibet doloris species est familiaris; quinimo variatur quoque respectu causarum dolorem facientium, calidæ enim dolores acutos, frigidæ gravativos, sicca extensivos procreant, ab humore bilioso pungens, à pituitoso gravans, à spiritu & flatu extendens, à sanguine pulsans dolor efficitur. quin & ipsis partibus, ut dixi, magis una, quam alia species convenit, interest enim extensivus, aut pungitivus, non vero pulsativus, Renibus gravativus, seu pungitivus, & sic de reliquis, nam hæc pro exemplo sunt.

33 Causa procatartica, hoc est antecedens, evidens, & externa, quæ dolorem fecit, aut quæ dolorem facillè simulatur, maximæ considerationis est in hoc negotio: consequens enim est ad unam causam sequi potius huius, quam illius partis dolorem, & huius potius, quam alterius speciei. ab aere enim nocturno, exempli gratia, capitis præcipue gravitas oriri solet, à potu aquæ frigidæ stomachi, aut intestinorum dolor, & in assuetis illum pati dolor quoque nephriticus, seu renalis; à Sole capitis dolor acutus, & ab aliis aliter, ut Medicis est notissimum; hæc enim omnia consideranda eam ob causam proponuntur, quia si effectus, & modus suis causis non respondeat, suspicio simulationis augetur, ut dehinc exemplificabimus.

35 Duratio quoque doloris, vel est longa, vel est brevis, nam vel dolor multum duravit, vel nuperrimèprehendit, aut medio modo se habet; & sic si vetus fuerit, tunc adhibita remedia in ejus curatione examinanda, si recens fuerit, ea proponenda, quæ adhiberi debeant, aut etiam quæ de novo adhiberi possint, si aliqua jam sint adhibita. Quin etiam circa durationem doloris observanda partis dolentis Natura, quia, ut notum Medicis est, Cordis, Stomachi, Aurium, Pectoris, faucium, & vesicæ dolores intensi ac magni, & interdum aliqui periculi pleni sunt; unde in longum protrahi non possunt; si ergo de similibus doloribus conqueratur aliquis, & jam per duos aut tres dies eos se tolerasse dicat, nullo apparente evidente symptomate, huic fides non est habenda. Sunt etiam nonnulli dolores, qui si diu duraverint,

abscessus, & suppurationes de necessitate faciunt. sic Hipp. 7. Aphor. 22. dicebat: A ditorum partium ad ventrem attingentium dolore suppuratione. alii vero dolores in alios morbos transeunt, ut longus ac vehemens dolor capitis in Apoplexiam, lethargum, surditatem, spasmodum, apoplexiam, & huiusmodi. Avicen. 1. 3. tract. 2. cap. 1.

His consideratis, Medicus hoc fundamentum præ oculis habeat, quod dolor, ex ejus causa homo eximendus sit à carceribus, vel ab oneribus liberandus, vel cui concedenda sit immunitas; aut qui obtinere debeat coadjutorem; & huiusmodi non satis est, ut sit levis, Fortunat. Fidel. lib. 2. relat. Med. cap. 2. quia levis morbus non impedit hominem, quin actiones suas exercere possit, ut per l. Quæstium. ff. de Re. jud. & per Galen. ex notis lib. de const. Art. cap. 19. in Isagog. immo sic ut levis morbus non est dignus nomine morbi, argumento l. 1. §. sed sciendum. ff. de Edil. edict. sic neque levis dolor dicitur agriudo, ut Gal. ipse, ubi supra apertissime docet.

Præterea in plerisque casibus non modo non sufficit levis dolor, ut hominem excuset, sed debet etiam excedere mediocritatem, ut exempli gratia, ubi aliquis Canonicus, aut similis persona, seu Episcopus aliquis ob aliquem dolorem pati consuetum coadjutorem exposceret; in hoc enim casu spe futuræ prosperitatis. Ricc. in coll. decr. par. 3. coll. 489. coadjutor enim non datur, ubi tale impedimentum omnino non adit, ut habetur in cap. unico de Cler. Agrot. in 6.

Facto igitur hoc fundamento, quod dolor in plerisque casibus saltem sit, & esse debet ultra mediocritatem, in aliis autem saltem mediocri, Medicus hanc conclusionem elicere debet, quod dolor quicumque, de quo iudicium ferre debeat, oporteat ut signa aliqua habeat evidentiâ, & si magnus dicatur esse, etiam certa, ex quibus vere adesse deprehendatur, aut si sit mediocri, saltem leviora signa ostendant suæ præsentia, quæ ubi non appareant, aut dolorem esse simulatum, aut modicum, & nullius considerationis facile pronuntiare poterit, adhibitis etiam conjecturis tam ex iis delumptis, quæ supra commemoravimus, quam ex propria industria, & diligenti examine præcedente.

Ad corroboratorem autem eorum, quæ de signorum evidentiâ, & certitudine dixi, notissimum est, quod ubi dolor magnus sit, magna, ac maxime conspicua signa apparere idcirco necesse sit, quia magnorum morborum non vix magna signa apparent, & ea de causa symptomata magna cum magnitudine morbi eveniunt. Gal. 1. de sympt. caus. c. 2. & alibi. Hinc Hipp. 2. Epidem. sect. 2. text. 10. ad doloris magni cognitionem duobus evidentiâ, ac magnis signis nos pervenire posse edocuit. Dolores, inquit, vehementissimos quomodo cognoverit quis conspicatus, terror, bona tolerantia, oblationes, & ignavia in vehementissimis namque doloribus terror adest, nempe accidentia terrorem inducentia, ea sunt virium lapsus, pulsus imbecillitas, extremorum frigus, sudores syncope, & huiusmodi alia his non dissimilia; unde est, quod, ut advertebat Roderic. à Castr. in suo Med. Polit. lib. 4. cap. 9. magnitudine doloris agitati in alium atque alium habitum se transeunt, quod simulantes non advertunt. Præter hæc autem

concomitari dicit Hippocr. huiusmodi magnos dolores ignaviam, nempe non modo averfionem à cibis & refectioibus, sed tadium quoddam accipiendi, ut optime Valles. in comm. prosequitur. Ergo ubi est contra bona tolerantia appareat, & absint signa terribilia, & æger ad oblationes saltem mediocriter se habeat, quantumvis ille ejulet, & conqueratur de doloris acerbitate & magnitudine, quantumvis exclamet & vociferetur, dolorem vehementem non esse concludendum est. Atque ex his deduci potest, Magnorum dolorum dari magna & evidentiâ signa, quod etiam magis declarant alii morbi, præcipue autem Acuti, qui cum magni sint, magnam etiam noticiam ex multis, & evidentibus signis de se præbent, unde est, quod etiam in ipso principio, quando nimirum morbus minus cognoscibilis est, facile cognoscitur non à Medicis solum, sed ab ipsis quoque idiotis hominibus, teste Gal. 1. de dieb. decret. cap. 6. class. 4. hoc autem non sine causa fit, quia magni morbi supponunt magnas causas. Mercat. lib. 2. de morb. part. 2. class. 1.

50 quest. 182. art. 1. num. 12. cum effectus suæ causæ æquivalens sit oporteat, & ea de re magnus morbus magnam recessum à naturali statu demonstrat, ut notat Gal. 1. de sympt. caus. cap. 2. Magnæ ergo causæ magnos morbos faciunt. Valles. comm. 3. in tertium Epidem. text. 2. & comm. 2. in sextum text. 28.

52 at magna causæ ob eorum magnitudinem nequam latere possunt, & consequenter neque magni morbi, qui eorum effectus sunt. nam magna imperies, exempli gratia, etiam nuda, & absque materia sensu ipso deprehendi potest, quod si cum materia sit etiam facilius non modo rationabili discursu, sed etiam sensu ipso, & mille evidentiâ signis, ut per colorem partis immutatum, per tumorem, per excretionem, & per similia. ubi ergo Medicus non videat ea signa apparere, quæ apparere consequens est in tali dolore ex tali causa emanante, aut ea signa non ita conspicua viderit, jam dubitare de simulatione potest, aut de magnitudine saltem doloris, quod si ulterius ea, quæ supra commemoravimus, in memoriam revocaverit, & ex iis rectam rationationem instituerit, certum de veritate ferre iudicium absque dubio poterit; difficile enim

53 est, si is qui simulat Medicinæ artem non callat, eum in sui morbi enarratione, in causarum explanatione, in explananda doloris specie, & cæteris supradictis, dissona & sibi contraria interdum non pronuntiare: nam si interrogaveris, quod pro exemplo sit, de parte dolente, & dicat esse caput secundam partem anteriorem, & rursum interrogatus de specie doloris, dicat esse pullatilem, & sibi caput apparere frigidum, & maxime gravatum, aut dicat causam procatarticam doloris fuisse, & esse nimiam humiditatem carceris, ubi detinetur, jam hæc inter se dissona sunt, & simul stare non possunt, quia dolor pullatilis ex causa calida fit, unde neque ab hac externa causa potuit provenire talis dolor, nec caput cum tali dolore perferri frigidum. & ex his Medicus colligit subesse hic fraudem, & ad ulteriores interrogationes procedet, alia que diximus diligenter examinans; nam si interrogabis de duratione doloris, & respondeat æger hunc ipsum dolorem, quem dicit esse pullatilem, esse inveteratum, & interrogatus de continuatione, & modo affligendi, dicat dolorem nunquam intermittere, sed tantum se paulisper remittere, & ad interrogationem de tempore remissionis re-

spondeat, remitti magis interdum, quam noctu, & magis remitti à cibo, quam stomacho jejuno, tunc etiam ex his conjecturam simulationis desumere licet, quia pullatilem dolorem, utpote qui à sanguine, & calida causa originem habet, conveniens est magis affligere interdum, noctu, & magis à cibo, quam stomacho jejuno, quia vapores à cibo elevati calidi existentes causam doloris fovent. Circa remedia quoque adhibita si interrogatus fuerit simulator, facillime errabit, nam remedia narrabit ad talem morbum, & ad talem causam minime ad rem facientia, aut præteribit efficaciora, ut in hoc casu sanguinis repetitas evacuationes, quia à sanguineo humore morbus fit, per venæ sectionem, per cucurbitulas scarificatas, per hyrudines, & longinquis partibus, & ipsi parti affectæ nempe capiti applicatis ut post aures, aut naribus, & per sanguinis etiam reiteratam missionem ex vena frontis, & ranulis, venis nimirum quæ sunt sub lingua, & ex aliis quoque partibus.

Præter interrogationes autem ubi de simulatione suspicetur Medicus, proponere debet remedia nova, & hæc quidem magna, & quæ magis molesta habentur, ut cognoscat promptitudinem simulatoris in illis rejciendis, vel acceptandis. proponat ergo sanguinis largam missionem, cucurbitulas plurimas iteratas, & scarificatas, acria clysteria, vesicantia ipsa, & inunctiones, nam ubi dolor magnus exerceat, ut aliis diximus, nihil omnino dolentes morantur, omnia promptissime admittunt; ubi vero dolor aut nullus sit, aut mediocri, vel nullum admittunt, vel leviora, & hæc etiam coacti, & ne eorum simulatio ex totali remediorum abominatione detegatur.

Sunt etiam in doloribus particularibus, præcipue ubi magni sunt, quemadmodum annuimus, sua propria & peculiaris signa. prosequamur autem exemplum prædictum, calidi nempe doloris, in quo caput necesse est apparere calidum præter naturam, colorem faciei ad rubedinem vergere, oculos esse tumentes, inflammatos, & rubore conspicuos, venas præter morem elatas ac tumidas, febrem quoque, ac calorem quandam præternaturalem à capite per universum corpus diffundi, & alia huiusmodi apparere, quæ si absint, & contraria potius appareant, cui dubium erit hic fraudem subesse, & in reliquis doloribus ratiocinari oportet, ut de singulis recte iudicemus.

## S V M M A R I V M.

- 1 Nullus morbus frequentius fingitur, quam insania.
- 2 Sapientes nonnulli, & magni viri, qui insaniam simulaverunt.
- 3 Quodam insania genus simulari solet.
- 4 Furor à Melancholia quomodo differat.
- 5 Que observanda ut simulatam insaniam deprehendamus.
- 6 Evanescentes, & melancholici perpetuis vigilis insistantur.
- 7 Somnus in melancholicis difficilis, & maxime necessarius.
- 8 Ad procreationem morbi melancholici que concurrant.
- 9 Morbi melancholici repente non adveniunt.
- 10 Morbi Melancholici longi sunt, & difficiliter terminantur.

- 11 *Quenam præcedant melancholicos morbos.*  
 12 *Tumor & moestitia longo tempore perdurantes, hominem melancholicum ostendunt.*  
 13 *Qui per circuitus insaniant, ante accessum quid patiuntur.*  
 14 *In omnibus melancholicis morbis, qui per circuitus moriuntur, quid ante accessum præcedat.*  
 15 *Ex insanientis modo quomodo deprehendatur simulatio.*  
 16 *Quibus ingenii simulata insania deprehendatur.*  
 17 *In insanientibus animi affectus commovendi.*  
 18 *In simulata insania vix fieri potest, ne aliquid signum commoti affectus non appareat.*  
 19 *Insania aliquando medicamentis procuratur.*  
 20 *Insania medicamentis procurata quomodo deprehendi possit.*  
 21 *Insanie medicamentis procurate signum non committendum.*

## De Simulata Insania.

## QUÆSTIO V.

**N**illus morbus fere est, qui facilius & frequentius simulari solet, quam insania, nullus item, qui difficilius possit deprehendi; eamque ob causam adnotare licet, nonnullos sapientes viros, ac summi ingenii, & virtute maxime insignes insaniam aliquando simulasse, vel ut se periculis præminentibus eximerent, vel ad alium quemdam laudabilem finem, ut de David in sacris, & de Vlyse, de Solone, de Junio Bruto, de aliisque in profanis historiis legimus. Quamquam Claudius Imperator librum edidit teste Sueton. in eius vita cap. 38. Moron anastasis, cuius argumentum erat, insultum neminem fingere, fortasse quia in ea opinione fuit, quod stultitia simulari non posset. Cæterum de veræ insanie quamplurimis speciebus copiosissime egimus lib. 2. tit. 1. quatenus ad nostrum Legale argumentum pertinebat; nunc de simulata loquentes, dicamus, quod insania, quæ & facilius potest, & frequentius simulari solet, aut simplicem melancholiam, aut cum furore conjunctam representat; potest & eodem modo simulari fatuitas, adjuncta etiam surditati, & mutitati, quæ tamen rarius simulatur; idcirco antea de prioribus loquamur. per ea vero, quæ loco citato dixi, patet, quid intersit inter melancholiam, & furorem, nimirum, quod illa affecti in quiete sint, timidi, tristes, animoque demisso, hoc autem laborantes, in perpetuo motu, sine ulla requie, audaces, & iracundi. In mentem ergo revocanda in hoc casu maxime sunt signa utriusque morbi, à Doctoribus in suis prædicis diligentissime tradita: consideranda enim primo facies, quæ in his, qui verè melancholici sunt aut furentes, tendit ad quasi terreum colorem, vel lividum, aut est ultra consuetam rubicunda, sed cum quadam lividine ob melancholiam admixtionem, in furentibus præsertim, & præcipue secundum oculos, qui tamen in melancholicis colore sunt fusco, ex ipsorumque maxime intuitu interni melancholici humoris copia, & turgentia transparet: fixantur enim aliquando ita, ut ægrotantes stupidi appareant, in aliis nonnullis excavantur, & in oculorum cavitate quasi se retrahunt, & abscondunt, quod frequentius in furentibus evenire solet: cum accessio visit, sanguinolenti fiunt cum tortuositate quadam, venæ extenduntur, genæ interdum rubent, si sanguis

melancholice sit admixtus, corporis durities quadam, & non consueta apparet nigrities, se ipsis fortiores evadunt, iracundi fiunt, minimaque ex causa excandescunt; clamant, vociferantur, abscribitur, præsentibus minantur, torvo aspectu sunt, & violento corporis motu formidabiles. Quilibet ergo videt, quod hæc omnia simul non tam facile effingi possunt; & si animum prudens Medicus adverterit, ex plurimorum supradictorum absentia aut presentia sine magno negotio deprehendere poterit, quando furor aut melancholia vere fatiget, quando vero simulat. Adest insuper præter hæc omnia signum maximopere considerabile, quod est perpetua vigilia, quæ tam furentes omnes, quam melancholici magna ex parte perpetuo afficiuntur, vel ob humoris ipsius, qui cerebrum obsidet, siccitatem, vel ob quamplurimam phantasmata, quæ imaginationi præsentantur, & illa quidem maxime afficientia primum ipsum sensorium; adeo enim vividam sese illi offerunt, ut non aliter ac si vera & realia essent, ipsum moveant, ob quorum indefinenter oblationem vigiliam excitantur his ægrotantibus adeo molesta & damosa, ut recte dixerit Celsus, somnum in his tam difficile esse, quam necessarium; itaque hoc uno signo considerato, aliquando deprehendere licebit eum, qui furorem simulat, impossibile enim est, hunc consuetum somno non capi, ac præter morem per longum tempus vel volentem vigilare, ubi causa interna cum vigilare non cogat.

His consideratis, ad externas prægressaque causas oculos animumque convertamus; ac sciendum ad horum morborum procreationem requiruntur, & perseverantiam, & magnitudinem causarum; quæ ejusmodi morbi, ut deinceps demonstrabo, non fiunt, ut alii, derepente aut modico tempore; sed quemadmodum ob naturam peccantis humoris, qui motus est tardissimi inter alios, cum sua natura crassus & terrestris existat, hi morbi longi sunt, & maxima cum difficultate terminantur, sic habent quoque principium, & insultum maxime diuturnum. Ergo considerata causa externa, & antecedenti, quoad magnitudinem, an sufficiens nimirum fuerit, nec ne ad talem procreandum morbum, adnotanda etiam ipsius causæ perseverantia, per quam poterit longo temporis spatio humor multus atrabilarius in corpore aggregari, & inde spiritus infici, ac mens ipsa consequenter depravari.

Præterea consideranda sunt, quæ solent hujusmodi morbos præcedere, accidentia nempe quædam in ipso ægrotante; ut enim patet ex Hipp. sententia Aphor. 6. num. 23. Melancholiam, & consequenter illi similes passiones præcedere solent Timor & Moestitia, per longum tempus perseverantes: ægri insuper vigiliis, & inappetentia molestantur, somniique melancholicis ac turbulentis, si quando somno indulgere possunt, perturbantur; hominum conventum, præcipue gaudentium & lætantium, fugiunt, intra se loquuntur, & obmurmurant, & aliquando absque causa lachrymas effundunt, neque propria moestitiæ, timoris, aut fletus causam ullam, quæ satisfaciatur, reddere norunt; ubi horum ergo nihil præcessisse comperias, sed ex abrupto melancholiam aut furorem irrepisse, de simulatione non solum quantum est hoc, suspicari prudenter licet, sed quasi certitudinem habere: quod prudenter etiam adnotavit Sylvaticus loco citato cap. 10. de hac eadem materia verba faciens, nam maxime

maxime ad id advertendum, quod dixi, quod hi morbi nunquam derepente, aut ex abruptoprehendant, absque eo quod prædicta per aliquod saltem tempus prægressa fuerint, quod non solum verissimum est in his, qui alias nunquam insanierunt, sed etiam in illis, qui per circuitus quosdam insaniant, aut furunt; hos enim instante tempore, quo delirare solent, contemplari licebit consueto magis tristis ac merentes, solitudinem eligere, secum ipsis mulsiare, tandemque in apertam insaniam, aut manifestum furorem labi: immo & hoc ipsum in morbis omnibus melancholicis, aut qui melancholice vitio fiunt, experiri licet, maxime cum per circuitus moventur, ut in Epilepsia, in Quartana, & aliis: videbis enim in Quartanariis (quorum abundantia facilis id experiri nobis permittit) ea die, qua febris inflat, per multas horas ante, immo per totam diem, delirium quandam & tristitiam, coloris mutationem, membrorum gravitatem pati, & hujusmodi alia, quæ quilibet ex se observare potest, hoc cur ita fiat, superius annuimus, dicentes, fieri ob humoris melancholici naturam, qui tardissimum motus est, unde vides, quantum etiam ipsa febris cum ab eo humore originem habet, tardi motus sit, non solum respectu temporum universaliū ipsius morbi, cum & principium, & augmentum, & statum, & declinationem habeat quam longissimam, sed etiam respectu temporum particularium in ipsis accessionibus. non enim nisi de quarto in quartum repetit, & eadem tempora, ut universalis morbus, longissima habet. cum ergo etiam in his particularibus morborum accessionibus constet, præcedere per multum tempus ea signa, quæ diximus, id multo magis habere locum in furore, & melancholia necesse est, quia nobiliorem partem obsidet humor, nempe caput, cui totum corpus consentire dubium non est; quod si talia non appareant, simulationis suspicio libet.

Cæterum ex ipso insanienti modo potest etiam aliquid veritatis elicere, aliis adhibitis adiuventis; siquidem, qui verè insaniant habent ut plurimum quasdam hereses, & imaginationes quasdam absurdissimas circa quædam particularia, circa quæ ut plurimum dementiant, multaque effatiant ac delirant. alii enim se mortuos esse putant, idcirco comedere, bibere, loqui, aut quicquam agere reculant; at ne talem insaniam nunquam simulabunt, qui per fraudem alios decipere student. alii se in aliqua parte corporis ulcera maligna, apostemata, tumores ingentes, & hujusmodi pati somniant, alii capite se carere autumant, alii se ad æternum damnatos ignem prædicant, neque amplius servari posse; alii denique alia absurda imaginantur, & circa eam rem, cuius occasione delirant, interrogati perperam respondent, & manifestissime se insanire ostendant, circa alia tamen prudentes aliquando responsiones reddunt, ita ut vix crederes, eos ullo modo insanire aut mente motos esse. at ubi ista insania sit, non modo circa id, cuius causa insanire se fingunt, extra rem respondent, sed etiam circa quæcumque alia, immo maxima cautela utuntur, ne quicquam prudenter dicant, aut faciant, putantes eo modo eorum fallaciam deprehensum iri: non tamen ob id negaverim, esse ex insanientibus nonnullos, qui nullatenus ad rem respondent, eo quia non circa particulare quoddam insaniant; sed considerandum admoveo, quod ubi talis insania simularetur, nimirum

circum particularia, ut exempli gratia, si aliquis simularet se insanire, affirmans, se mortuum esse, tunc si hic etiam circa alia omnia insanire se loquendo ostenderet, simulationis suspicionem faceret, & affectatæ insanie, difficillimum tamen profecto est ex solo insanienti modo, ut ex simplici observatione verborum & actuum absurdorum, deprehendere veram insaniam, quare alia quoque adminicula adhibenda sunt.

Denique nonnulla ingenia ad insaniam deprehendam proponuntur, scio primum doctissimum & expertissimum quemdam Medicum, cuius nomen iustus ex causis non profero, cum sibi oblatus esset is casus, in quo de simulata insania ambigebatur, insanum illum multis verberibus affici illico iussisse, eo sine & intentione, ut si vere insaniret, iis verberibus humores ad vapulantes partes diverteret, si vero simularet, eorundem verberum virtute vel nolens respiceret; ut res ipsa commonstravit. itaque hoc ingenio nobis quoque uti licebit, & ubi ab eo opere humana pietas nos distraheret, saltem minis primum, & timore incusso de veritate certiores fieri queramus. quod si non sufficiant minæ, non erit ab illo abstinentendum.

Alia via est, ut omni ingenio, ac clam, quantum fieri poterit, commoveamus in eo, qui insanire se simulat. Animi affectus, præcipue vero spem, iram, lætitiā, & alios his congeneres, ad quorum excitationem, si ut par est afficiatur qui insanum se fingit, jam de simulatione suspectos nos reddere potest, quia in vere insanientibus, præcipue autem Melancholicis, & furentibus nulla spes, neque ulla lætitiā, neque ira, aut exandescencia nisi vana, & ex nulla occasione convenienti, sed præter rem omnino apparet, neque quicquam ad unius, vel alterius affectus commotionem irritantur; est enim in illis Mens veluti alligata, & fixa ab ipso humore melancholico, & ita in phantasmatibus sibi ab eo humore præsentatis abstracta, ut ad alia nequaquam se convertere possit, non secus ac somniantes facerent, si circa illos quicquam existeret, quod eos ab eorum imaginatione, & somnio distraheret. Contra ergo ubi insania simulata sit, vix fieri poterit, quin homo conceptæ spei, aut lætitiæ signum aliquod in verbis, in gestibus, in ipsi saltem facie non patefaciat, nam, ut Iuvenal. dicebat Sat. 4.

*Deprendes animi tormenta latentis in ægro Corpore, deprendes & gaudia, sumit utrumque Inde habitum facies.*

ex quibus signis si alias conjecturas adhibebimus, facile simulationem deprehendere nobis licebit. Ultimo loco ad interrogationes devenire licet, sed ab his facile sese extricant, qui simulant, ad rem nequaquam respondentes; & idcirco difficile est ex his quicquam quod ad rem faciat elicere. exemplum habemus lixæ illius ex Illyrico exercitu iuxta cubiculum Octavii Augusti deprehensus cultro venatorio cinctus, is enim imposte mentis, an simulata insania incertum, nihil enim exprimi quæstione potuit, inquit Suet. in Oct. cap. 19.

Cæterum à nonnullis affectatur insania, hoc est medicamentis quibusdam procuratur, ut penas, vel carceres effugiant; quibus autem medicamentis id fiat, non detegam: multa eorum recensuit data opera Sylvaticus, quæ apud ipsum vide